



The Holy See

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

SS. MI D. N. PII PP. X DE MUSICA SACRA*

Inter plurimas pastoralis officii sollicitudines, non huius Supremae Cathedrae tantum, ad quam abscondito Dei numine sumus, quamvis indigni, nuperrime evecti, sed singularum ecclesiarum, absque dubio illa principem tenet locum, cuius est munus decori favere domus Dei, in qua et divina peraguntur mysteria et Christifidelium grex convenit, ut Sacramentis fruatur, collectam et dominicum agat, Corporis D. N. Sacramentum adoret, precibusque Ecclesiae in publico et solemni liturgico officio communicet. Nihil igitur in templo sit quod pietatem et religionem Christifidelium perturbet vel minuat, nihil quod fastidio vel malo exemplo sit, nihil praesertim quod SS. Rituum decus et sanctitatem offendat, ideoque orationis domo et Dei maiestate minime sit dignum.

Malos usus qui occurrere possint singillatim non pertractabimus. Nunc vero prae omnium oculis illum malum usum ponimus, qui et saepissime evenit et qui auferatur difficillimus esse videtur; aliquoties insuper vituperandus est etiam cum omnia maxima sint laude digna templi venustate, caeremoniarum ordine, clericorum frequentia, pietate et religione celebrantium. Hic maius usus in cantu et sacris musicis est reperiendus. Enimvero sive huius artis natura fluctuantes variaeque, sive iudicii, volventibus annis, deformatione, sive malo influxu, quo ars profana et theatralis in eam influit, quae merito sacra appellatur, sive voluptate, quae ex musicis directe captatur, neque debitis modis facile contineri potest, sive denique plurimis errantibus iudiciis, quae in hac arte pullulant, etiam apud nonnullos viros vel auctoritate praeditos et religione conspicuos, peccatur in lege, quae vult SS. Ritus artem subter se habere; quae lex in singulis Ecclesiae canonibus et Conciliis vel generalibus vel provincialibus, et SS. Romanarum Congregationum et RR. Pontificum decretis saepe saepius clare aperteque inducitur.

At suspicantibus Nobis aliquid boni proximis temporibus factum esse videtur et in hac alma Urbe plurimisque Italiae nostrae ecclesiis; praecipue vero apud nonnullas nationes, ubi viri egregii

religione flagrantibus, hac suprema Sede adprobante et Ordinariis dirigentibus, iure sociati fecerunt ut in singulis ecclesiis et sacralibus musica omnino floreret. Sed quod captum est bonum non apud omnes populos invenitur Nostra quidem sententia; quod si rationem habemus plurimarum conquestionum, quae undique Nostras ad aures latae sunt hoc exiguo temporis spatio, quo Domino visum est Nos ad supremum Pontificatus fastigium evehi, diutius differre nolentes, quidquid in sacris agendis a lege, quam supra exposuimus, alienum est et vituperandum et damnandum clare aperteque censuimus. Etenim cum nihil Nobis potius sit et vehementer optemus ut virtus christianae religionis floreat et in omnibus Christifidelibus firmior sit, templi decori provideatur oportet, ubi Christicolae congregantur ut hoc virtutis spiritu ex priore fonte fruantur, quae est participatio divinorum mysteriorum atque Ecclesiae communium et solemnum precum. Frustra vero speramus super nos abundantius coeli gratiam esse descensuram, ubi nostra pietas in Deum non ut odorum suavis adscendit in coelum, sed Domino rursus dat flagella quibus olim Iesus Christus violatores e templo expulit indignos.

Itaque ne quis in medium afferat sui iuris inscitiam, et ut quaeque in interpretatione quorundam rerum cunctatio auferatur, principia, quae musicam sacram gubernant brevi exponenda esse censuimus, et hac in tabula colligenda praecipua Ecclesiae decreta malos usus in hac disciplina ad vitandos.

Certa scientia igitur et motu proprio hanc Nostram *Instructionem* in lucem edimus, quae vel *codex iuris sacrorum musicorum* et quasi lex plenitudine Nostrae Apostolicae Auctoritatis placet et mandamus ut vigeat et valeat, eamque omnes Christifideles ad litteram servant.

INSTRUCTIO DE SACRIS MUSICIS

I.

Principia generalia.

1. Musica sacra, prout pars integrans solemnis liturgiae, huius particeps est finis, qui gloriam Dei et sanctificationem Christifidelium spectat. Ipsa decus caeremoniarum ecclesiasticarum adauget, et quod eius praecipuum munus est concentu opportuno verba liturgiae exornare, ita musicis sacris haec verba intelligentiora fieri debent, quo facilius Christicolae ad fidem et religionem eccitentur, et abundantius percipiant gratiam, quae sacrorum mysteriorum propria est.

2. Ex quo evenit ut musica sacra omnibus muneribus liturgiae praedita sit, praesertim *sanctitate, bonitate formarum* quibus et *universalitas* oritur.

Sit *sancta*, eiiciat igitur e sacris profana, non tantum in se, sed etiam quoad formam qua a cantoribus proponitur.

Sit *ars cere*, ut in animis audientium illam habeat virtutem, quam Ecclesia postulat quum musicis

liturgiam societ.

Sit *universalis* hac ratione, scilicet quamvis singulis nationibus liceat in musicis sacris admittere illos praecipuos modos, qui formam earum musicae constituent, hi tamen modi legibus generalibus sacrorum musicorum subiiciantur, ne ullius alienigenae animus, eos cum audiat, perturbetur.

II.

De sacrorum musicorum generibus.

3. Hae dotes praecipue inveniuntur in cantu gregoriano, qui igitur Ecclesiae Romanae est, quem ea a maioribus accepit, et in codicibus liturgicis, volventibus aegis, fidelissime servavit, quem vero, prout est proprius, Christicolis proponit et aliquoties in liturgia praecipit, quem denique novissima studia pristinae dignitati et integritati restituerunt.

His de causis cantus gregorianus ut exemplar optimum sacrorum musicorum semper est habitus, cum vera sit haec lex: *musica compositio eo magis est sacra et liturgica, quo in modis cantum gregorianum sequitur, et eo minus templi digna est, quo magis illo optimo exemplo peccat.*

Cantus gregorianus, quem transmisit traditio, in sacris solemnibus omnino est instaurandus, et omnes pro certo habeant sacram liturgiam nihil solemnitatis amittere, quamvis hac una musica agatur. Praesertim apud populum cantus gregorianus est instaurandus, quo vehementius Christicolae, more maiorum, sacrae liturgiae sint rursus participes.

4. Quas supra exposuimus dotes, eae optime reperiuntur in classica poliphonia, praesertim Scholae Urbanae, quam XVI vertente aevo Petrus Aloysius Praenestinus ad sidera tulit, neque in posterum sibi defuit. Classica poliphonia optime exemplo totius musicae sacrae cohaeret, quod exemplum est cantus gregorianus, quam ob rem una simul cum cantu gregoriano accepta est in solemnibus liturgiis Ecclesiae, quae sunt illae *Pontificiorum musicorum* (della cappella pontificia). Instauranda est igitur et haec in maximis basilicis, in ecclesiis cathedralibus, in sacrariis seminariorum aliorumque conventuum, qui opibus florent.

5. Progredientibus artibus semper Catholica Ecclesia favit, cum cultui servire voluisset quidquid boni et pulchri, vertentibus annis, ingenium invenerit, servatis tamen legibus liturgicis. Ex quo efficitur ut et musica hodierna in ecclesiis admittatur cum sit modis suavis nec sacris liturgiis minime indigna. Tamen, quod musica hodierna finem habet profanum, curandum est ne musicorum modi hodierno stylo, qui in ecclesiis admittuntur, quid habeant théâtrale vel profanum, neve quoad formas alienos modos attingant.

6. Inter hodiernae musicae genera stylus ille theatralis ad sacra sequenda minime aptus videtur, qui nuper elapso aevo praesertim in Italia vixit. Ille vero sua ipsius natura cantui gregoriano et

classicae poliphoniae omnino repugnat, ideoque sacrorum musicorum legibus. Huius denique styli structura, modus et qui dicitur *convenzionalismo* musicae necessitatibus apte non nectuntur.

III.

De texto liturgico.

7. Ecclesia latina lingua utitur; in sacris igitur liturgiis prohibetur quidlibet vulgari sermone canere, praesertim partes variantes vel communes Missae et Officii.

8. Cum singulis liturgiis sint texta statuta, quae musicis cani possint, et ordo, hunc perturbare non licet, neve statutis textis ad libitum alia substituere, neve penitus ea amittere vel imminuere, nisi liturgicae rubricae concedant ut organum aliqua verba texti, quae in choro recitentur, substituat.

Liceat tamen more Romanae Ecclesiae canere *cantiunculam* (mottetto) in honorem SS.

Sacramenti post *Benedictus* in missa solenni. Concedimus denique ut, Missae Offertorio absoluto, brevis cantiuncula canatur super verba ab Ecclesia adprobata.

9. Textum liturgicum ut est in libris sine verborum permutatione vel repetitione et intelligibili forma Christicolis audientibus est canendum, neque dividantur verba.

IV.

De forma exteriori sacrarum compositionum.

10. Singulae partes missae et divini officii et in musicis servant quam ecclesiastica traditio eis dedit formam, quae in cantu gregoriano optime invenitur. Non eodem enim modo componitur *introitus, graduale, antiphona, psalmus, hymnus Gloria in excelsis* etc.

11. Haec praesertim sunt servanda:

a) *Kyrie, Gloria, Credo* Missae habeant unitatem compositionis texto pertinentem. Non liceat igitur *Kyrie, Gloria* etc. ita separatim componere ut singulae eorum partes perfecta musica compositio videantur et quae evelli possint vel aliis substitui partibus.

b) In solemnii recitatione Vesperarum sequendum est *Caeremoniale Episcoporum*, quod praecipit cantum gregorianum salmodiae, et concedit *musicum concentum* (musica figurata) hymno et versibus *Gloria Patri*. — Liceat tamen in quibusdam solemnitatibus cantum gregorianum et eos qui dicuntur *falsibordoni* alternis psallere aut versus simili modo apte compositos. Liceat denique aliquoties singulos psalmos musice canere, dummodo forma propria salmodiae servetur, idest dummodo cantores alternis psallere videantur modis vel novis vel e cantu gregoriano sumptis vel huic similibus. Prohibemus igitur psalmos qui dicuntur *concentus* (di concerto).

c) In hymnis Ecclesiae forma traditionis hymni servetur. Non licet ideo componere, exempli gratia,

Tantum ergo ita ut prior strophæ videatur *romanza* vel adagium et Genitori *allegro*.

d) Antiphonæ Vesperarum cantu gregoriano proponendæ sunt; quod si musice canantur videri non debent concentus melodiarum, neque cantiuncularum amplitudinem habeant.

V.

De cantoribus.

12. Præter melodias celebrantis ad altare et ministrorum, quæ cantu gregoriano semper cani debent sine organi sequentia, quæ cantus liturgici extant sunt Chori Levitarum, ideoque cantores ecclesiastici, quamvis non clerici, chori ecclesiastici munere funguntur. Musica igitur, quæ proponitur servare debet formam musicae choralis. Sed non excluditur vox, at in sacris solemnibus hæc ita non supersit ut maior pars textus liturgici hoc modo proponi videatur; videatur potius simplex indictio melodica et compositioni, ut forma choralis, strictius adhaereat.

13. Ex eodem principio sequitur ut cantores in ecclesia liturgico munere fungantur, ideoque mulieres, cum huius muneris non sint capaces, admitti non possint ad chorum vel ad musicos. Quod si igitur *voce acutiore* (soprani) vel *acuta proxima* (contralti) uti velimus, perantiquo ecclesiastico more a pueris hæc voces edantur.

14. Denique *ecclesiasticorum musicorum* (cappella di chiesa) participes tantum sint viri religione et pietate conspicui, qui pie et devote sacris cum adsint, munere, quo funguntur, digni videantur. Convenit ut cantores, dum in ecclesia canunt, induant talarem vestem et superpelliceum; quod si in orchestris palam adstantes prospicientibus sint, transennis edentur.

VI.

De organo et musicis instrumentis.

15. Quamquam Ecclesiae musica propria est illa vocalis, tamen permittitur musica cum sequentia organi. Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia musica instrumenta, sed annuente Episcopo, ut *Caeremoniale Episcoporum* præcipit.

16. Quod cantus vocalis superesse debet, organus et musica instrumenta eum tantum substineant, non opprimant.

17. Non licet longa praeludia præmittere cantui vel partibus intermediis interrumpere.

18. Sonus organi in sequentiis cantus, in praeludiis, interludiis, similibus, huius instrumenti naturam non solum sequatur, sed musicae sacrae omnium qualitatum, quas supra exposuimus, particeps sit.

19. In ecclesia uti non licet *cymbalis* (pianoforte), *tympano* (tamburo), *magno tympano* (grancassa), *catillis* (piatti), *tintinnabulis* (campanelli), *similibus*.

20. Prohibetur omnino illis quae dicuntur *musica urbana* (bande musicali) in ecclesiis canere; tamen, annuente Episcopo, liceat admittere aliqua musica instrumenta vocalia, ratione perpensa, dummodo compositio et sequentia sit in stylo gravi et omnino simili stylo organi.

21. In publicis supplicationibus liceat Episcopo admittere musicam urbanam, dummodo ne haec modos profanos canat.

Est in votis musicam urbanam in his casibus tantum sequi aliquem hymnum spirituales latino vel vulgari sermone a cantoribus, vel a piis congregationibus, quae supplicationis sunt participes, praepositum.

VII.

De amplitudine musicae liturgicae.

22. Non licet ratione cantus vel soni sacerdotem ad altare longius quam caeremonia liturgica quaerit, expectare. Iuxta ecclesiastica decreta *Sanctus* Missae ante elevationem perficiatur, ideoque etiam sacerdos celebrans cantorum rationem habeat. *Gloria*, et *Credo* iuxta gregorianam traditionem brevia satis sint.

23. Generatim est omnino damnandum, ut maius usus, in sacris solemnibus liturgiam inferiorem locum habere, quasi musicorum sit ancilla, at contra tantum pars liturgiae.

VIII.

De mediis praecipuis.

24. Quae statuimus ut rite servantur, Episcopi in propria dioecesi instituant, nisi iam fecerint, *societatem* (commissione) virorum sacrae musicae expertium, qui, uti aptius Episcopi videatur, pervigilandi musicam, quae in ecclesiis canitur, munus habeant. Curent insuper ut musica optima sit, cantorum aequa viribus et semper optime canatur.

25. In seminariis clericorum et in conventibus ecclesiasticis, iuxta Tridentina decreta, magna cum diligentia et studio cantus gregorianus, quem transmisit traditio, colatur, et iuvenibus praepositi omnimodo faveant. Ubi fieri potest inter clericos *Schola Cantorum* erigatur, quae sacram poliphoniam et optimam musicam liturgicam exequat.

26. In quotidianis lectionibus liturgiae, theologiae moralis et iuris canonici, quibus imbuuntur discipuli scholae theologiae, doctores curent ut quae sacram musicam attingant, pertractent, et discipulos pulchrum artis sacrae doceant, ne clerici, studiorum cursu absoluto, his notionibus cultui

rerum ecclesiasticarum necessariis, careant.

27. Detur opera ut restituantur, saltem apud priores ecclesias, antiquae *Scholae Cantorum*, ut iam plurimis in locis actum est. Clero volenti haud difficile est has Scholas instituere etiam in ecclesiis minoribus et ruralibus, quin etiam his Scholis pueri et grandes natu facilius ad sacerdotem conveniunt suo ipsorum fructu et populi religione.

28. Curetur denique et quoque modo Scholae superiores sacrae musicae ubi iam sint provehantur et augeantur, ubi vero adhuc non sint, fiant. Oportet enim Ecclesia faveat et provideat, iuxta sacrae artis principia, cultui et humanitati suorum coriphaeorum et cantorum.

IX.

Conclusio.

29. Mandamus denique coriphaeis, cantoribus, clericis, praepositis seminariorum et conventuum ecclesiasticorum et religiosorum, parochis et rectoribus ecclesiarum, canonicis collegialibus et cathedralibus, praesertim Ordinariis ut omni modo et studio his sapientibus reformationibus faveant, iam diu optatis ab omnibusque Christifidelibus expetitis, ne Ecclesiae auctoritas contemnatur, quae eas saepe saepius proposuit, nunc vero rursus inculcat.

Ex Aedibus Vaticanis, in festo S. Caeciliae V. et M., X Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. XXXVI (1903-04), pp. 387-395.



The Holy See

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DIVINI CULTUS
SANCTITATEM** DE LITURGIA DEQUE CANTU GREGORIANO ET
MUSICA SACRA COTIDIE MAGIS PROVEHENDIS.

Divini cultus sanctitatem tuendi cum Ecclesia a Conditorum Christo munus acceperit, eiusdem est profecto, salva quidem Sacrificii et sacramentorum substantia, ea praecipere — caerimonias nempe, ritus, formulas, preces, cantum — quibus ministerium illud augustum et publicum optime regatur, cuius peculiare nomen est Liturgia, quasi actio sacra praecellenter. Atque res utique sacra est liturgia; per eam enim ad Deum evehimur ipsique coniungimur, fidem nostram testamur nosque gravissimo ei obligamur officio ob accepta beneficia et auxilia, quibus perpetuo indigemus. Hinc intima quaedam necessitudo inter dogma et liturgiam sacram, itemque inter cultum christianum et populi sanctificationem. Quapropter Caelestinus I fidei canonem expressum esse censebat in venerandis liturgiae formulis; ait enim: «*legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congeminante postulant et precantur*» (*Epist. ad episcopos Galliarum, Patrol. Lat., L, 535*).

Quae communes supplicationes primum *opus Dei*, deinde *officium divinum* appellatae, quasi debitum cotidie Deo solvendum, noctu dieque olim fiebant, magna quidem christianorum frequentia. Ac mirum quantum iam inde ab ipsa antiquitate temporum ingenuae illae cantilenae, quae sacras preces actionemque liturgicam exornabant, ad fovendam in populo pietatem contulerunt. Namque in veteribus praesertim basilicis, ubi episcopus, clerus populusque divinas laudes alterne concinebant, non parum liturgici cantus eo valere ut plurimi ex barbaris ad christianum civilemque cultum, historia teste, adducerentur. In templis catholicae rei oppugnatores altius sanctorum communionis dogma didicerunt; quamobrem Valens imperator, arianus, prae divini mysterii maiestate, a S. Basilio peracti, stupore quodam insolito correptus, animo deficiebat; ac Mediolani S. Ambrosius ab haereticis arguebatur se turbas liturgicis cantibus fascinare, quibus quidem percussus Augustinus consilium cepit Christi fidem amplectendi. In ecclesiis deinde, ubi ex tota fere civitate chorus ingens fiebat, opifices, aedium fabri, pictores, sculptores, litterarum ipsi studiosi, per liturgiam ea theologiarum rerum cognitione imbuebantur, quae hodie ex illius aetatis mediae monumentis tantopere elucet.

Ex his intelligitur cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura in dogmate aptis verbis exprimendo, ita liturgiae sacrae leges ordinare, tueri et ab omni adulteratione praeservare studuerint. Itemque patet cur Sancti Patres liturgiam sacram (*seu supplicandi legem*) verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eam esse christiano populo exponendam et explicandam. Quod vero ad nostra haec tempora attinet, Pius X, abhinc annos XXV, in praescriptionibus illis *Motu Proprio* promulgandis, quae ad cantum gregorianum et musicam sacram pertinent, hoc in primis sibi proposuit ut scilicet christianum spiritum in populis excitaret et aleret, ea sapienter removendo quae templi sanctitudinem maiestatemque dedecerent. Etenim ob eam causam ad aedes sacras fideles conveniunt ut pietatem inde, tamquam ex praecipuo fonte, hauriant, veneranda Ecclesiae mysteria ac publicas sollemnesque preces actuose participando. Permagni igitur interest quidquid est liturgiae ornamentum normis quibusdam praeceptisque Ecclesiae contineri, ut artes reapse, velut par est, quasi ancillae nobilissimae divino cultui inserviant; quod quidem nedum in detrimentum, in maiorem potius dignitatem splendoremque ipsarum artium quae in sacris locis adhibentur certe cedit. Idque mirum sane in modum in musica sacra effectum est: ubicumque enim praescriptiones illae diligenter sunt in usum deductae, ibidem cum lectissimae artis venustates reviviscere, tum religiosi spiritus late florere coeperunt; propterea quod populus christianus, liturgico sensu altius imbutus, et eucharisticum ritum et psalmodiam sacram et supplicationes publicas participare impensius consuevit. Quod Nos quidem ipsi tum iucunde experti sumus, cum, primo Pontificatus Nostri anno, ingens clericorum chorus ex omni natione liturgiam sollemnem, quam in Vaticana Basilica celebravimus, gregoriano cantu nobilitavit.

Iam vero dolendum hic est quibusdam in locis eas leges sapientissimas plene non fuisse in usum deductas; ideoque optatos fructus inde perceptos non esse. Namque probe novimus vel dictitasse aliquos se eis legibus non teneri quae tam sollemniter edictae fuerant; vel nonnullos, primum quidem iisdem paruisse, sed pedetentim ei musicae generi indulsisse quod est omnino a templis arcendum; vel denique alicubi, curo praesertim saecularia sollemnia in memoriam celebrarentur musicorum illustrium, causam inde quaesitam esse quaedam opera in templo exsequendi quae, quamvis praeclara, cum sacri loci et liturgiae sanctitati non congruerent, in ecclesiis nequaquam erant adhibenda.

At tamen, quo clerus populusque eis legibus et praescriptionibus, quae sancte, inviolateque in Ecclesia universa servandae sunt, religiosius pareat, nonnulla haec adiicere placet, quae nempe hoc XXV annorum spatio experiendo didicimus. Idque eo libentius Nos facimus quod hoc anno non solum musicae sacrae restorationis, quam diximus, recordatio, sed etiam memoria monachi illius Guidonis Arretini celebrata est; qui, cum circiter abhinc annos nongentos, Romani Pontificis iussu, in Urbem venisset, ingeniosum illud suum inventum protulit, quo liturgici cantus, iam inde ab antiquitate traditi, et facilius evulgarentur, et, ad Ecclesiae artisque ipsius utilitatem ac decus, integre servarentur in posterum. In Lateranis aedibus, ubi antea S. Gregorius Magnus, monodiae sacrae thesauro — hereditate quidem monumentoque Patrum — collecto, digesto et aucto, *Scholam* illam percelebrem, ad veram liturgicorum cantuum interpretationem perpetuandam, tam

sapienter constituerat, Guido monachus experimentum egit mirifici sui inventi, coram romano clero ipsoque Pontifice Maximo; qui, rem eximie probando meritaque laude proseguendo, hoc effecit ut eadem innovatio longe lateque paulatim propagaretur, atque omne musicae artis genus magnum inde caperet incrementum. Omnibus igitur Episcopis atque Ordinariis, quibus quidem, cum sint liturgiae custodes, de sacris artibus in ecclesiis cura esse debet, nonnulla hic Nos commendare volumus, quasi optatis respondentes, quae ex tot musicis congressionibus, praecipueque ex recentiore conventu, Romae habito, Nobis significarunt non pauci sacri Pastores ac studiosissimi rei huius praecones, quos omnes merita hic laude honestamus; eademque, ut infra, efficacioribus viis rationibusque propositis, ad effectum deduci iubemus.

I. Quicumque sacerdotio initiari cupiunt, non modo in Seminariis sed etiam in religiosorum domibus, iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur; propterea quod facilius tum ea perdiscunt, quae ad modulationes sonosque pertinent; et vocis vitia, si fortasse habeant, eradicare vel saltem corrigere queunt, quibus quidem postea, adultiores aetate, mederi prorsus non possent. Ab ipsis primordiorum scholis institutio cantus et musicae incipienda est, ac deinde in gymnasio et lycaeum continuanda; ita enim qui sacros ordines suscepturi sunt, cum iam cantus periti sensim sine sensu facti sint, in theologicorum studiorum curriculo, sine ullo quidem labore ac difficultate, altiore illa disciplina institui poterunt quam verissime *aestheticam* dixeris monodiae gregorianae ac musicae artis, polyphoniae atque organi, quamque clerum pernoscere omnino decet.

II. Esto igitur in Seminariis ceterisque studiorum domiciliis, utrique clero recte conformando, brevis quidem sed frequens ac paene cotidiana cantus gregoriani et musicae sacrae lectio vel exercitatio; quae si liturgico spiritu peragatur, solatium potius quam onus, post severiorum disciplinarum studium, alumnorum animis afferet. Auctior ita pleniorque utriusque cleri in liturgica musica institutio id certe efficiet ut ad dignitatem priscam splendoremque *chorale officium* restituatur, quod pars est divini cultus praecipua; itemque ut *scholae et capellae musicorum*, quas vocant, ad veterem gloriam revocentur.

III. Quicumque in *basilicis aedibusque cathedralibus, collegiatis et conventualibus religiosorum* cultum moderantur et exercent, iidem totis viribus contendunt ut rite, id est ad Ecclesiae praescripta, *chorale officium* instauretur; neque id solum quod ad commune praeceptum spectat divini officii peragendi *digne semper, attente ac devote*, sed etiam quantum ad canendi artem attinet; in psallendo enim, et iusta tonorum ratio curanda est una cum mediis suis numeris clausulisque ad sonum exquisitis, et congruens ad asteriscum mora, et plena denique concordia illa in psalmodicis versiculis hymnorumque strophis conclamandis. Quae si egregie efficiantur, omnes rite psallentes, cum suorum animorum in adorando Deo unitatem mirifice ostendant, tum, in moderata duarum chori partium vice, sempiternam illam Seraphim laudem, qui clamabant alter ad alterum: «*Sanctus, Sanctus, Sanctus*» aemulari videntur.

IV. Ne quis autem in posterum faciles excusationes prae texat ut ab officio Ecclesiae legibus

parendi liberatum se existimet, ordines canonicorum omnes ac religiosas eaedem communitates de his rebus in statis coetibus agant; et quemadmodum olim cantor erat seu rector chori, ita in posterum in canonicorum et religiosorum choris aliquis eligatur peritus, qui cum liturgiae cantusque choralis normas in usum deducendas curet, tum singulorum vel chori universi vitia emendet. Quo in genere praetereundum non est, ex veteri constantique Ecclesiae disciplina atque ex ipsis capitularibus constitutionibus quae adhuc vigent, quotquot ad chorale officium tenentur, eos omnes saltem cantum gregorianum rite pernoscere oportere. Cantus vero gregorianus, in ecclesiis omnibus cuiusvis ordinis adhibendus, is est qui ad veterum codicum fidem restitutus, ab Ecclesia in editione authentica, vaticanis typis, iam propositus est.

V. *Capellas* etiam *musicorum* iis omnibus ad quos spectat commendatas hic volumus, utpote quae, decursu temporum, in antiquarum *scholarum* locum suffectae, eo pacto in basilicis maioribusque templis constitutae sint ut polyphonicam praecipue musicam ibidem efficerent. Quam quidem ad rem, merito *polyphonia* sacra post gregorianum cantum altero loco haberi solet: ideoque vehementer Nos cupimus ut *capellae* huiusmodi, quemadmodum a saeculo XIV ad saeculum XVI floruerunt, ita hodie illic maxime renoventur ac revirescant ubi divini cultus frequentia et amplitudo maiorem cantorum numerum exquisitioremque eorum delectum postulant.

VI. *Scholae puerorum*, non modo apud maiora templa et cathedrales, sed etiam penes minores et paroeciales aedes excitentur; pueri autem a *capellarum* magistris ad recte canendum instituuntur ut ipsorum voces, iuxta veterem Ecclesiae morem, virorum choris sese adiungant, maxime cum in polyphonica musica, ut olim, adhibendae sint pro suprema voce, quae cantus appellari consuevit. Ex eorum numero, saeculo praesertim XVI, polyphoniae auctores peritissimi, uti est compertum, prodire, quos inter omnium facile princeps Ioannes ille Petrus Aloisius Praenestinus.

VII. Quoniam vero didicimus tentari alicubi ut quoddam musicae genus resumatur, sacrorum officiorum perfunctioni haud omnino congruens, praesertim ob immoderatiorem instrumentorum usum, Nos quidem hic profiteamur cantum cum symphonia coniunctum nullo modo ab Ecclesia tamquam perfectiorem musicae formam rebusque sacris aptiorem haberi; etenim magis quam instrumenta, vocem ipsam in sacris aedibus resonare decet: vocem nempe cleri, cantorum, populi. Neque est autem putandum incremento musicae artis Ecclesiam obsistere, quod instrumente cuilibet humanam vocem anteponat; siquidem nullum instrumentum, quamvis eximium atque perfectum, in exprimendis animi sensibus humanam vocem superare potest, tum maxime cum ipse animus ea utitur ut preces et laudes ad omnipotentem Deum extollat.

VIII. Est quidem Ecclesiae proprium musicum instrumentum a maioribus traditum, *organum*, ut aiunt; quod, ob miram quandam granditatem maiestatemque, dignum habitum est ut cum liturgicis ritibus coniungeretur, sive cantum comitando, sive, silente choro, ad praescripta, harmonias suavissimas eliciendo. At vero in hoc etiam illa vitanda est sacri et profani permixtio, quae causa cum fabrorum qui organa conficiunt, tum modulatorum quorundam qui novissimae musicae portentis indulgent, huc demum evaderet ut de ipso ad quem destinatur fine mirificum hoc

instrumentum deflecteret. Equidem ad liturgiae normas Nosmet ipsi optamus ut quaecumque ad organum spectant nova semper incrementa capiant; sed temperare Nobis non possumus quin conqueramur quod, uti olim aliis musicae formis quas merito Ecclesia prohibuit, ita hodie novissimis sane formis tentetur ut in templum profani spiritus invehantur; quas quidem formas, si gliscere inciperent, facere non posset Ecclesia quin omnino damnaret. Personent in templis ii tantum organi concentus qui maiestatem loci referant ac rituum sanctitudinem redoleant; hoc enim pacto ars tum fabrorum in construendis organis, tum musicorum in eisdem adhibendis, revirescet ad liturgiae sacrae efficax adiumentum.

IX. Quo autem actuosius fideles divinum cultum participant, cantus gregorianus, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur. Ac revera pernecesse est ut fideles, non tamquam extranei vel muti spectatores, sed penitus liturgiae pulchritudine affecti, sic caerimoniis sacris intersint — tum etiam cum pompae seu processiones, quas vocant, instructo cleri ac sodalitatum agmine, aguntur — ut vocem suam sacerdotis vel scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent; quod si auspiciato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam, aut levi quodam demissoque murmure communibus precibus, liturgica vulgarive lingua propositis, vix respondeat.

X. In hoc utriusque cleri industria desudet, praeestantibus quidem Episcopis et locorum Ordinariis, ut, per se vel per alios rei peritos, liturgicam musicamque populi institutionem curent, utpote cum doctrina christiana coniunctam. Quod quidem facilius efficietur scholas praecipue, pia sodalicia ceterasque consociationes liturgicis cantibus instruendo; religiosorum autem, sororum ac piarum feminarum communitates alacres sint ad hunc finem assequendum in variis institutis quae sibi ad educandum et erudiendum concredita sunt. Itemque valde ad hanc rem valituras esse confidimus eas societates quae in nonnullis regionibus, ecclesiasticis auctoritatibus obsequentes, musicam sacram ad Ecclesiae leges restaurare contendunt.

XI. Ad haec omnia, quae sperantur, adipiscenda peritis magistris iisdemque frequentissimis omnino opus est. Quo in genere, Scholis et Institutis illis, passim per catholicum orbem conditis, debitas laudes tribuimus; siquidem disciplinas huiusmodi diligenter docendo, praeceptores optimos idoneosque effingunt. Sed maxime memorare hoc loco ac dilaudare placet *Pontificiam Scholam musicae sacrae altius tradendae*, quae inde ab anno MCMX in Urbe a Pio X constituta est. Hanc Scholam, quam deinde proximus decessor Noster Benedictus XV studiose provexit novaque sede donavit, Nos quoque peculiari quodam favore prosequimur, tamquam pretiosa Nobis hereditate a duobus Pontificibus relictam, eandemque idcirco Ordinariis omnibus magnopere commendatam volumus.

Equidem probe novimus ea omnia, quae supra mandavimus, quantum studii postulant ac laboris. At vero quis ignorat quam multa opera quamque magno artificio confecta, nullis devicti difficultatibus, maiores nostri posteritati tradiderint, utpote qui pietatis studio ac liturgiae spiritu imbuti essent ? Neque id mirum: quidquid enim ab ipsa, quam Ecclesia vivit, interiore vita

proficiscitur, mundi huius perfectissima quaeque transcendit. Difficultates coepti huius sanctissimi animos Ecclesiae Antistitem excitent atque erigant nedum infringant; qui voluntati Nostrae concorditer omnes constanterque obsequentes, operam navabunt Summo Episcopo episcopali suo munere dignissimam.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes Apostolicam hanc Constitutionem firmam, validam et efficacem semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus. Nulli igitur hominum liceat hanc Constitutionem a Nobis promulgatam infringere vel eidem temerario ausu contraire.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, in quinquagesimo sacerdotii Nostri natali, die XX mensis Decembris anno MCMXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

FR. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH, <i>Cancellarius S. R. E.</i>	CAMILLUS Card. LAURENTI, <i>S. R. C. Pro Praefectus</i>
--	--

Joseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonotariorum Apost.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

*A.A.S., vol. XXI (1929), n. 2, pp. 33-41.

PIUS X.

MOTU PROPRIO O OBNOVĚ
POSVÁTNÉ HUDBY Z 22. LISTOPADU
ROKU 1903.

PIUS XI.

KONSTITUCE O LITURGII,
GREGORIÁNSKÉM ZPĚVU
A POSVÁTNÉ HUDBĚ
Z 20. PROSINCE ROKU 1928.

V P R A Z E

TISKL K. KISCH-TROJAN V NOVÝCH BENÁTKÁCH
NÁKLADEM „EDITIO CYRIL“, PRAHA II. NÁRODNÍ TŘ. 6.

1 9 3 8

3 Kč

PIUS X.

MOTU PROPRIO O OBNOVĚ
POSVÁTNÉ HUDBY Z 22. LISTOPADU
ROKU 1903.

PIUS XI.

KONSTITUCE O LITURGIÍ,
GREGORIÁNSKÉM ZPĚVU
A POSVÁTNÉ HUDBĚ
Z 20. PROSINCE ROKU 1928.

V P R A Z E

TISKL K. KISCH-TROJAN V NOVÝCH BENÁTKÁCH
NÁKLADEM „EDITIO CYRIL“, PRAHA II. NÁRODNÍ TŘ. 6.

1 9 3 8

MOTU PROPRIO
O OBNOVĚ POSVÁTNÉ HUDBY
Z 22. LISTOPADU R. 1903.



SV. OTEC PIUS X.



I. Instrukce o posvátné hudbě.

I. Všeobecné zásady.

1. Posvátná hudba, jakožto podstatná součást slavnostní liturgie, má s ní společný hlavní cíl, slávu Boží a posvěcení a vzdělání věřících. Přispívá k zvětšení krásy a skvělosti obřadů církevních, a jako základním úkolem jejím jest přiodívati vhodnou melodií liturgický text, jenž uvádí se na mysl věřícím, tak jejím vlastním účelem jest, dodávati textu větší účinnosti, aby věřící takto snáze byli roz-níceni k nábožnosti a způsobilejší sbíratí plody milosti ze svatosvatých tajemství.

2. Dlužno tudíž, aby posvátná hudba měla do sebe v nejlepším stupni vlastnosti, jež jsou vlastnostmi liturgie, a to především svatost a dobrost forem, odkud sama sebou vyplývá další její povaha, a to všeobecnost.

Budiž s v a t á, tedy prosta všeliké světskosti, netoliko sama v sobě, nýbrž i ve způsobu, jakým se podává od účinkujících.

Budiž pravým uměním, neboť nemožno, aby jinak měla na ducha posluchačova oné působivosti, již zamýšlí Církev dosíci, přibírajíc umění zvukové do své liturgie.

Ale budiž zároveň všeobecná v tom smyslu, že třebaš dovoleno jest jednotlivým národům užívatí při skladbách kostelních oněch zvláštních forem, v nichž jest jaksi samostatný ráz jejich národní hudby, přece budtež formy ty takovým způsobem podřízeny hlavním rysům posvátné hudby, aby u někoho z jiného národa při poslouchání nezanechaly dojmu nedobrého.

II. Druhy posvátné hudby.

